



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Cultu Sacrosancti Cordis Dei Ac Domini Nostri Jesu Christi

Galliffet, Joseph de

Romae, M.DCCXXVI.

Praxis VI. deducta ex visione cœlesti habita a Virgine Parodiensi supra
memorata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45817](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45817)

P R A X I S V I.

*Deducta ex visione coelesti habita ab illa Virgine
Parodiensi supra memorata.*

Dum aliarum sanctarum feminarum visiones coelestes ad Cor Jesu spectantes referimus, omittenda sane non est Virgo illa sanctimonialis Parodiensis, cujus opera Jesus uti voluit, ut Cordis sui diviniissimi cultum his temporibus excitaret. De qua quum jam multa superius dixerimus, unum dumtaxat huic loco accommodatum, adjungemus. Hæc igitur ad animæ suæ rectorem scribens, sic loquitur: Quod pertinet ad beneficia singularia ex Corde Jesu in me profecta, adeo multa sunt, ut vix animum inducere possim ea singillatim enumerare. Obedientiæ porro, quæ me hæc scribere cogit, facturam me satis existimavi, si pauca hæc quæ subjicio declararem. Die quodam S. Joannis Evangelistæ sacro, postquam ab amantissimo Domino gratiam accepissem illi propemodum similem, quæ in ultima cæna dilecto discipulo contigit: menti meæ Cor illud sacrosanctum objectum est, lucis radios miro splendore spargens undequaque, crysallique instar pellucens, in throno qui totus ex igne flammisque constare videbatur veluti sublime: vulnus lancea factum distincte apparebat: spinea corona Cor cingebat: Cruxque in superiori parte eminebat. Quæ Dominicæ Passionis insignia significabant (rem ipso Jesu declarante) omnia quæ ille pro hominum salute passus

T 3 est,

» est, ex amore profluxisse. Tum, amantissimus Do-
 » minus hæc adjecit: cupere se vehementer, ab homini-
 » bus redamari: seque hoc desiderio excitatum statuis-
 » se Cor suum illis manifestare, huncque thesaurum
 » amoris & misericordiæ, gratiarumque omnium ad sa-
 » lutem & perfectionem conducentium referare: eo fine
 » ut quotquot huic sacrosancto Cordi debitam reveren-
 » tiam & amorem adhibere vellent, infinitis quas com-
 » plectitur divitiis participes efficerentur. Affirmans præ-
 » terea, cultum illum peculiarem Cordi suo delatum si-
 » bi esse acceptissimum: ac propterea velle se, ut ima-
 » go Cordis sui expressa coloribus fidelium oculis palam
 » exponeretur: quo emolliri eorum durities specie tam
 » amabili posset. Pollicens insuper eos omnes qui ejusmo-
 » di imaginem præcipua veneratione colerent, donis cœ-
 » lestibus ex hujus diviniissimi Cordis plenitudine pro-
 » deuntibus, affatim cumulandos.

CAPUT IV.

*Appendix de cultu sanctissimi & immaculati Cordis
 MARIE Matris Dei JESU.*

Constituto semel in Ecclesia, afflante Spiritu
 Sancto, cultu ac festo Cordis Jesu; consequens
 erat ut, ejusdem Spiritus instinctu, constitueretur adhuc
 cultus & festum Cordis MARIE. Hæc porro conse-
 quentia quam justa sit, ac divinis consiliis consentanea,
 apparebit ex sequenti animadversione; qua capitis hu-
 jus